

(quæ necessariò præcedere debet, aliter quam per Confessarium capere non valeat Episcopus, consequenter non ismet dispensare, sed mandatum seu commissionem dispensandi, confessario alicui dare debeat, ut dispense, si preces veritate nisi prius repererit, juxta sequentem formulam conformem stylo Sac. Penitentiariae.

Formula Dispensationis Episcopalis super impedimento occulto pro solo foro interno.

Nos NN. Dei, & Apostolicæ Sedis gratiæ Episcopus N. &c.

**527** Discreto viro Confessori ex approbatis in nostra Dioecesi per laticem præsentium ad infra scripta specialiter eligendo. Ex parte laticis præsentium oblati nobis petitiõ continetur (exponuntur preces, prout siñere proposuere v. g.) quòd ipsa nra Dioecesis existens ignara impedimenti, in facte Ecclesie, & præsens denuntiationibus, bona fide contraxerit Matrimonium cum viro, à cujus fraire prius carnaliter erat cognita. Cum autem, siñti eadem petitiõ subjungetur, separari sine scandalo non possunt, & Dispensatio à Sac. Penitentiaria sine periculo continentia, vel gravis diffamationis expressari non valeat, cupi à præmissis absolvi, & secum de super dispensari. Quare supplicavit nobis humiliter, quatenus de oportuno remedio providere dignemur. Nos itaque supplicationibus hujusmodi inclinati discretioni tuæ committimus, quatenus, si ita est dictum laticem, auditu prius sacramentali Confessione, ac subacta occasione si qua adhuc extat, amplius cum dicto viro, vel sorore peccandi, à quibusvis sententiis, censuris, & penis Ecclesiasticis, quas propter præmissa incurrit, incessu, & excessibus hujusmodi absolutas hac vice, in forma Ecclesie sancta, conjuncta inde ei pro libidine excessu saluari penitentia, ac sacramentali Confessione peccatorum suorum (determinetur ad arbitrium Episcopi pro diversitate delicti, & personarum, quoties fieri debeat v. g.) singulis mensibus, vel quovis bimessali ad minimum semel peragenda. Demum, dummodò impedimentum sit occultum, & Matrimonium præmissis denuntiationibus in facte Ecclesie bona fide contractum, ac separatio sine scandalo fieri non possit, simulque, donec Dispensatio in Sac. Penitentiaria procuratur, & adveniat periculum continentia, vel gravis diffamationis timendum tibi visum fuerit, aliove Canonico non obliet impedimentum, cum eadem laticem, & dicto viro de nullitate prioris consensu certiorato, sed ita caute ut laticis delictum nusquam deturgetur quòd Matrimonium cum eodem, & uterque inter se de novo secretè, ad vivanda scandala, præmissis non obstantibus contrahere & in eo postmodum remanere licite valeant, misericorditer dispenses in foro conscientie, & in ipso actu sacramentali Confessionis tantum. & non aliter, neque ullo alio modo. Ita quòd hujusmodi absolutio, & Dispensatio latori in foro judiciali nullatenus suffragetur, nullis super his testibus adhibitis, aut literis datis, seu processibus confectis, & præsentibus lantiatibus, quas sub excommunicatione laicæ sententiæ lanciare tenearis, ita ut nullum earum exemplum extet, neque eas latorici restituas, quòd si restituieris, nil ei præfentes literæ suffragentur. Datum N. die Mens. Anno...

**528** Hæc litteræ ad invitationem Sac. Penitentiariæ claudi & inscribi possunt vel Doctõri in Theologia, vel Jure Canonico, vel Confessario alicui ex approbatis in Dioecesi, juxta arbitrium Episcopi, qui utri-

que pro consolatione penitentium facit, si, uti potest, suæ Dispensationis litteras simpliciter inscribit: *Discreto viro Confessori ex approbatis in nostra Dioecesi per laticem præsentium ad infra scripta specialiter eligendo; Cùm enim Doctõres Confessarii, qui litteras exequi possent, ac vellent, rari sint, & difficulter haberi possint, bonum utique erit, si per inscriptionem quivis confessorio approbato pro libitu penitentis eligendo detur commissio dispensandi, prout etiam, si petatur, facere solet Sac. Penitentiaria per dicta n. 427.*

Porrò, licet litteræ Dispensationis Episcopalis pro solo foro conscientia alicui comperito, vel involacro incluse, & clausæ ad illud v. g. Confessarium, vel Parochum, qui scribit pro penitente, & Dispensationem procurat, dirigi possint, & debeant (cùm penitens utpote occultus existens ignoratur) tamen talis Confessarius eas aperire, & exequi non potest, nisi ad id a penitente specialiter eligatur, unde debet illas clausulas consignare Oratrici vel Oratori & eandem instruere, esse modo in potestate, & arbitrio illius, qualem Confessarium pro executione eligere velit.

Queritur VII. Quis possit esse Executor litterarum Episcopalis Dispensationis pro solo foro interno? Et quomodo in praxi illas exequi debeat? Resp. I. Desumendum esse ex inscriptione litterarum, quis possit esse Executor. Si enim inscriptio sit ad Doctõrem in Theologia, vel Jure Canonico; nullus alius quàm verus talis Doctõr ad exequendum eligi potest per dicta supra à n. 441. Si verò inscribantur Confessario ex approbatis in genere, potest quivis Confessarius in Dioecesi approbatus illas exequi, si ab Oratore, vel oratrice ad id specialiter eligatur, juxta dicta superiùs.

Resp. II. Executor litterarum Dispensationis Episcopalis pro solo foro interno, debet eodem modo, quo Executor litterarum Dispensationis à Sac. Penitentiaria emanatarum, in executione se habere, & eandem clausulas observare juxta dicta à num. 441. Debet insuper observare clausulas in litteris Dispensationis Episcopalis specialiter apponit solitas, præsertim circa quatuor num. 508. positas condiciones. Cùm enim unâ illarum deficiat Episcopus dispensare non valeat, litteræ executioni mandari minime possunt, si reperitur, unam illarum non adesse, excepto casu extraordinario, quoad conditionem de Matrimonio jam contracto.

§. XI.

De Potestate Dispensandi super Impedimento Matrimonii competente Regularibus vi privilegiorum.

SUMMARIUM.

- 532 De Privilegiis remissivè.
- 533 Dæ sunt generales revocationes privilegiorum. Una est, qua Pontifices revocant omnia vivæ vocis oracula; & num. seq.
- 535 Per Pontifices omnia & sola vivæ vocis oracula sunt revocata.
- 536 Non item privilegia bullata.
- 537 Quenam sint revocata à Concilio Tridentino.
- 538 Regulares Mendicantes vel privilegiorum possunt dispensare super quovis impedimento voti non reservati.
- 539 Recensentur talia vota.
- 540 Regulares non habent privilegium dispensandi super

- super omnibus impedimentis, super quibus Jure Ordinario possunt Episcopi; & num. seq.
- 542 Possunt tamen post contractum Matrimonium dispensare pro foro interno super occulto impedimento Affinitatis etiam in primo gradu.
- 543 Probatur ex privilegio Leonis X. & num. seq.
- 545 Respondetur ad contraria Sanchezii & Rodriguez.
- 546 Solvitur impugnatio Henriquez & aliorum, & num. seq.
- 548 Refutatur impugnatio Gobath.
- 549 Stabitur Conclusio.
- 550 Consultur moderatur usus hujus Privilegii, & utilis praxis.
- 551 Causa & utilitas prohibitoris discussionis circa hoc privilegium; & num. seq.
- 553 Privilegia Regularium pro certis locis; & n. seq.
- 555 Vivæ vocis oracula ante Urbanum VIII. concessa neque in foro conscientia valent, bene verò post illum concessa.

**532** Cùm, uti ex Rubrica §. patet, in presenti indagare intendamus, an, & qualia habeant Religiosi privilegia dispensandi super impedimento Matrimonii, necesse est, breviter saltem præmitttere aliqua de revocatione privilegiorum, ut cognosci valeat, an privilegia, quæ ad propositum in presenti adducentur, sint revocata, vel non. Exactiore autem iuris, sicut & totius materie de privilegii doctrinam damus Lib. V. Tit. XXXIII. de Privileg. & Excessibus Privilegiorum.

Notandum itaque primò, duas celeberrimas, & generales extare revocationes Privilegiorum, quarum una facta est per Gregorium XV. in Constitutione Romanus Pontifex in Specula Militantis Ecclesie, que inter illius constitutiones est 27. apud Cherub. Tom. 3. & Urbanum VIII. Aliis felicis recordationis, quæ est 121. inter Constitutiones dicti Papæ apud Cherub.

**533** Altera facta est à Concilio Tridentino Sess. 25. cap. 22. de Regul ubi Regularium privilegia, decretis dicte sessionis adversantia, fuisse revocata illis verbis: *Hæc omnia & singula in superioribus Decretis contenta observari, sancta synodus præcipit in omnibus cenobis, ac Monasteriis, Collegiis, ac Domibus quorumcumque Monachorum, ac Regularium, nec non quorumcumque sanctimonialium Virginitatis, ac viduarum, etiam illarum sub gubernio militiarum, etiam Hierosolymitanæ vivunt, & quocumque nomine appellentur, sub quacumque regula, vel constitutionibus, & sub custodia, vel gubernatione, vel quavis subjectione, aut annexione, vel dependentia cujuscumque Ordinis, mendicantium, vel non mendicantium, vel aliorum Regularium monachorum, aut Canonicoorum quorumcumque non obstantibus eorum omnium, & singulorum privilegii sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac Mære magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non Constitutionibus, & regulis etiam juratis, atque etiam consuetudinibus, vel prescriptionibus, etiam immemorabilibus &c. Pro quorum majori intelligentia ponemus duo specialia quæstia.*

**535** Queritur igitur I. Quenam Regularium privilegia revocata sint à summis Pontificibus Gregorio XV. & Urbano VIII. per allegatas Bullas. Quenam item per Concilium Tridentinum? Resp. I. Per præfatos Pontifices omnia & sola privilegia vivæ vocis oracula, quibuscumque five secularibus, five Regularibus concessa, fuisse revocata. Patet aperte ex clarissimo præfatorum Bullarum textu, uti videre est in ipsis Bullis citatis, quas per extensum habet Hyacinthus Donatus, Tom. 1. Tracl. 16. g. 1. & Cherub. loc. cit.

**536** Infertur, non obstantibus præfatis revocationibus, Reiffensuel Jus Can. Tom. IV,

bus, valere adhuc omnia & singula privilegia per Bullas concessa, exceptis illis, quæ revocata sunt à Concilio Tridentino juxta dicenda num. seq.

Resp. II. Certum est, per Concilium Tridentinum revocata esse Regularium privilegia etiam bullata, quæ adversantur Decretis ejusdem Concilii in Sessione 25. de Regularibus. Unanimis patet clarè ex textu supra n. 534. allegato, quisi non de omnibus Concilio præfato contrariis, saltem de contrariis Sessioni 25. de Regularibus necessariò intelligi debet. Num autem per allegatum revocationis clausulam generalem revocata sint etiam omnia privilegia præcedentibus sessionibus, & earum Decretis contraria, dicemus infra Lib. V. Tit. XXXIII. de Privilegiis, & Excessibus privilegiorum.

Queritur II. An, & qualia habeant Regulares præsertim mendicantes privilegia dispensandi super impedimento Matrimonii? Resp. I. Possunt Regulares mendicantes super quovis impedimento Matrimonii impedimento voti dispensare, quando votum non est unum ex quinque specialiter reservatis Papæ. Caret controversia, patetque ex dictis Lib. III. Tit. XXXIV. num. 39. ubi dictum & probatum est, posse Regulares mendicantes dispensare in quovis voto, specialiter non reservato Summo Pontifici. Vide ibidem, ne superflua fiat repetitio.

Pro brevi tamen recapitulatione hæc infertur, **539** posse Regulares dispensare super impedimento voti I. Sulcipiendi Ordinem. II. Castitatis non perpetue. III. Etiam perpetua sed pœnalis. IV. Vel conditionati. V. Vel ex metu emissi. VI. Vel urgente necessitate. VII. Non nubendi &c. de quibus plura vide cit. Lib. III. Tit. XXXIV.

Resp. II. Quamvis non desint docentes, posse Regulares mendicantes dispensare super quovis tam dirimente, quam impediente Matrimonii impedimento, super quo juxta dicta §. 1. n. 15. & §. 2. per totum, de Jure ordinario dispensare potest Episcopus, tamen hæc doctrina omninò periculosa, & nullatenus prædicanda, utpote omninò improbabilis videtur, ut bene etiam advertit Gobath in Theolog. experimens. Tracl. 9. n. 721. Ratio est; quia hæc potestas Mendicantibus nec ex Jure, nec ex privilegio, consequenter nullo modo competit. Non ex Jure, ut omnes fatentur. Non ex privilegio, quia nullum allegari potest: prout etiam Adversarii nullum allegant.

Nec valet argumentum, quo uti videntur Adversarii: possunt Mendicantes dispensare super quovis voto, super quo Jure Ordinario possunt Episcopi per dicta Lib. III. Tit. XXXIV. num. 39. ergo etiam possunt dispensare super impedimentis, super quibus Jure Ordinario possunt Episcopi. Negatur enim consequentia & paritas. Disparitas est; quòd potestatem dispensandi super votis, super quibus possunt Episcopi dispensare Jure ordinario, habeant ex specialibus & expressis privilegiis per plures Pontifices concessis, uti videre est cit. Tr. XXXIV. n. 39. non item potestatem dispensandi super impedimentis Matrimonii.

Resp. III. Possunt Regulares per totum orbem existentes post Matrimonium five bona five mala fide jam contractum pro foro interno dispensare super occulto dirimente Matrimonii impedimento Affinitatis, etiam in primo gradu, & prolem inde susceptam legitimum declarare, quamvis hac potestate passim uti non expedit, nisi in casibus, & non cautelis infra allegandis. Prima pars Conclusionis multo, eoque graves Adversarios habet, hinc aliquantùm uberis eam deducere, & solvendo Adversariorum fundamenta illam stabilire oportet, præsertim qua ejus discussio pro praxi scitu fun. n. è utilis & necessaria videtur. Eam autem expressè docent

cent Richardus Rossensis Episcopus, ab omnibus etiam Adversariis proclamatus & laudatus vir celebrerrime doctrinæ & sanctitatis ab Henrico VIII. Angliæ Rege, in odium fidei Catholicæ occisus, conuenienter Martyr, in suo libello de causa Matrimonii Regis Angliæ. Chaffaing de Privileg. Regular. Tract. 5. cap. 5. proposuit. 3. Veracrux 2. part. Speculi auri. 27. Et hoc confirmatur expressè, & alii contra communiorum aliorum.

543 Probatur itaque hæc prima pars conclusionis unico, eoque efficaci argumento: Possunt Regulares Mendicantes super memorato impedimento dispensare, quando ita dispensandi expressum & clarum, nunquam revocatum habent privilegium Bullatum Pontificium; atqui habent tale privilegium: ergo. Major est certa. Minor probatur: PP. Augustinianis per totum mundum existentibus Leo X. clarissimum, idque Bullatum concessit privilegium: quod cum his, qui in primo Affinitatis gradu sciunt, aut ignoranter contraxerunt, modo notorium id non fuerit, neque in iudicium productum, dispensare valeant, ut de novo contrahant, & in eodem contracto Matrimonio remaneant, prole etiam legitima. Ita tenor privilegii, uti patet ex Bulla Leonis.

544 Hoc privilegium in terminis etiam adducit Doctissimus Rodriguez noster Tom. 3. 99. Regular. q. 2. art. 2. dicens, verum esse, quod Leo X. Fratris Augustini Ordinis concessit dictum privilegium per totum Orbem Christianum, quemadmodum in eius Bulla palam continetur (sunt formalia Rodriq. quæ non protulisset, si Bullam non vidisset, & legisset.) Addit, Rossensis Episcopi testimonio certe credendum est propter eius maximam sanctitatem, siquidem pro fide Catholica gladius impiorum occubuit. Licet de idem privilegium ex alio capite impugnet, ut videbimus infra. Ipsidum privilegium ex Veracrux adducit etiam Quintenaduenas singulari: Tract. 9. singulari 1. num. 1. addens ad fidem, Veracrucio utpote Augustiniano de privilegii sui Ordinis scripti fides adhibenda videtur.

Idem Privilegium allegat etiam Sanchez lib. 8. Disp. 6. n. 28. Basseus, Bonagrata, Pellizarus in Manuali Regular. Gobath in Theolog. experiment. Tract. 9. n. 719. & alii communiter.

545 Verum plures ex num. præcedenti allegatis Doctores dictum privilegium etiam impugnant, & quidem Rodriguez noster, & ex ipso Sanch. lib. 8. de Matrim. Disp. 6. n. 28. dicunt, istud privilegium non esse in usu; vel, ut post Vega volunt, non esse universale, sed tantum pro aliquo casu concessum, non enim verosimile videtur, aiunt, Pontificem tan universale privilegium Regularibus concessisse, cum id Episcopi non inveniant concessum. Horum tamen DD. opiniones & rationes planè non videntur præjudicare memorato privilegio; nam contra illos pro privilegio militat, tum quòd, uti bene observat Chaffaing loc. cit. non constat de non usu hujus privilegii cum veretur tantum circa impedimenta occulta soli Confessario & penitenti nota, nullaque scire possit, an non plures Confessarii dicto privilegio pro foro conscientie usi fuerint. Tum quia, si (dato non concessio) dictum privilegium in usu non fuit, id provenit ex ignorantia ejusdem privilegii, quali non usu privilegia minime amittuntur juxta Innocentium in c. Accedenti. bus. pr. de Privileg. Donatus Tom. 1. Tract. 12. q. 6. n. 6. arg. l. His, qui usumstructum ff. quibus modis usufructus amittitur.

Nec obstat allegatum privilegium non competere Episcopi; quia constat Regulares pluribus aliis etiam privilegiis gaudere, quibus carent Episcopi, uti bene loc. cit. observat Chaffaing.

546 Aliter dictum privilegium impugnat Henriquez

super Impedimentis Matrim.

lib. 12. de Matrim. cap. 3. n. 3. dicens, illo privilegio plus non concedi, quàm dispensare, ut incestuosus contrahat cum alia; aut ut licite debitum petat, non obstant incestu commissio post Matrimonium; & ita docendi fundamentum habet; quia, inquit, hoc privilegium Leonis X. non reperitur apud illos, qui diligenter collegerunt Mendicantium privilegia. Ex quo motivo etiam Quintenaduenas, Vega, & alii communiter adferunt eidem privilegio. Verum hæc Henriquez opinio immediate repugnat tenori privilegii, utpote qui expressè sonat de impedimentis Affinitatis ante Matrimonium contracto, & de eodem Matrimonio; uti legenti patet. Alterum fundamentum Henriquez ipsius opinionem totaliter destruit: si enim dictum Leonis privilegium nullibi invenitur (ut ipse cum nonnullis ait) quomodo ille, & ei adherentes interpretari possunt, illud sic vel sic esse intelligendum? cum non entis non sint qualitates.

Deinde ad idem fundamentum etiam ab aliis productum responderetur, ex eo efficaciter inferri non posse, dictum privilegium non esse concessum, vel non extare. Nam contra est; tum quia, etsi non reperitur in illis privilegiorum Collectioribus, quos ipsi legerunt, potest forsan inveniri in aliis, quos ipsi non legerunt; nec enim quis dicere presumat, se omnes legisse. Tum quia expressè reperitur in citato Rossensis Episcopi, sanctitate & doctrina celebrerrimo, quem mendacii, fraudis, levitatis, aut ignorantie in tam gravi materia arguere, planè iniquum videtur. Reperitur etiam in Chaffaing, & in desumentibus ex illo, Veracrux, aliisque adherentibus. Et quis dicere audebit, illum sanctitate & doctrinâ celebrerrimum Episcopum in re tanti momenti, utpote à qua valor pendet Sacramenti Matrimonii, bullatum privilegium absque sufficienti fundamento & notitia allegare, vel fingere, aut mentiri voluisse, qui pro veritate doctrinæ Christiane mortuus est, præsertim cum nulla appareat ratio efficax, cur non æquè habeatur fides tanto Episcopo, eique adherentibus, quàm aliis privatis Doctores privilegia colligentibus.

Nec enim refert, quòd Bulla, in qua dictum privilegium continetur, non faciliè amplius reperitur; quia bene esse potest, quòd turbulentissimis temporibus, quibus Rex Angliæ in Catholicos ac præcipuè in Regulares sæviebat memorata Bulla in Angliâ forsan asservata (nam ibi primitus allegabatur, & citabatur) una cum aliis Catholicis monumentis perierit. Accedit, plura alia privilegia adhuc vigeret, & pro authenticis haberi, etsi concessio nulla apud Doctores non faciliè amplius invenitur.

548 Sed ipse etiam Gobath sæpè dictum privilegium aliter impugnat in Theolog. experiment. Tract. 9. n. 720. dicens, Nilominus tamen existimo, esse verosimile, tale privilegium vel nunquam emanasse, vel si emanavit, non subsistere: fundamentum ipsius audiamus: Etenim ait, vel fuit duntaxat vivæ vocis oraculo concessum, vel per Bullam: si secundum; evolvit; cum suspicium reperitur; evolvit quis credit? si primum, probatissimè evanuit ob Bullas Gregorij & Urbani. Verum facilis est ad hoc responsio. Respondetur itaque, esse concessum privilegium per Bullam, uti constat ex testimonio Rossensis, & Rodriq. loc. citatis. Nec refert, quòd suspicium reperitur; neque ex hoc sequitur, eam evolvit, seu evanuisse. Nam contra est, tum quòd diximus supra n. 547. Tum quia ex eo, quòd charta, in qua tenor Bullæ emanatæ continetur, pereat, minime perit, seu evanescit, & evolat ipsium privilegium. Hinc si concedatur secundum membrum videlicet, quòd aliquando per Bullam sit concessum, male inferretur; ergo evolvit; sed potius inferendum; ergo adhuc

adhuc valet, etiamsi nullibi amplius reperitur; præsertim quia teste ipso Gobath & communi aliorum, Bullata privilegia Regularium non sunt revocata juxta dicta n. 535.

549 At pergit Gobath ibidem dicendo: Attamen ob reverentiam erga illum sanctum Episcopum, credo omnino esse datum, at non bullatum, consequenter de illo discurrendum sicut de cæteris sine Bulla concessis privilegiis. Sanè mirabile, ob reverentiam S. Episcopi omnino credit, privilegium esse datum, & non credit esse bullatum, cum tamen hoc æquè ac illud expressè testetur S. Episcopus, & utique minorem non mereatur fidem testans de substantia, quàm de accidenti.

549 Ex quibus omnibus cum aperte constet, viros doctrinâ & virtute celebrerrimos, fideque dignissimos pro certo asserere, & testari, sæpè dictum privilegium per Bullam Leonis X. reverà fuisse concessum; rationes verò & fundamenta Doctorum idem privilegium impugnantium apparentia, non autem efficacia, multò minus convincentia videantur, sufficienter probata videtur prima pars conclusionis n. 542. allegatæ, seu vera existentia questionari privilegii n. 543. allegati.

550 Resp. II. Quamvis de hæcenus questionato privilegio res ita se habeat, prout à n. 543. ostensum est; tamen consultum non est, ut Regulares Mendicantes ordinariè, vel passim illo etiam pro solo conscientie foro utantur, sed ad Penitentiarium; vel ad Episcopum juxta dicta §. I. pro Dispensatione recurrant, nisi periculum incontinentie, vel alia necessitas aliud jusdetur. Ratio est; quia quodcumque agit de valore Sacramenti (ut in præsertim, si enim, dato non concessio, privilegium non subsisteret, Dispensatio nulla, ipsiusque Matrimonii Sacramentum nullum foret & conjugati, gratis Sacramentibus in conjugio tantoperè necessariis destituti, in continuis fornicationibus saltem materialibus remaneret) consultum, & æquum est, semper, quantum possibile, via procedere securiori; adeò ut, licet etiam in materia valoris Sacramenti possint sequi doctrinam probabiliorer, minus tamen tutam, relicta minus probabilis magis tuta (non enim teneatur eligere certam) tamen expediat sequi tutiorem; & sibintret hinc monium Apostolic. ad Corint. 6. multa mihi licent, sed non omnia expediunt.

551 Si quæras: Ad quid ergo opus fuit tam prolixè hoc privilegium deducere, si illo uti non expedit? vel ad quid juvat? Respondetur, juvare plarimum, & ideo operæ pretium omnino fuisse, saprà positam doctrinam exactius, & paulò prolixius exhibere, eò quòd per eam, si una cum annexa cautela observetur, in quovis casu quælibet penitentem plene consolari, & commode juvare possimus, ut ex sequenti, quam in praxi observata, demonstratione patet. Vel enim ex circumstantiis cognoscis, quòd putativus conjug indigens dispensatione sine incontinentie periculo, utque dum Dispensatio Romæ, aut ab Episcopo veniat, vivere possit, & velit, vel non: si vides, quòd sine dicto periculo vivere, ac intereà se continere possit vel velit, dic ei, quòd illic pro ipso dispensationem apud Papam vel Episcopum in secreto procurare velis, ille verò intereà se continueat; sic enim ille omnino contentus & valor Sacramenti securus erit. Si vero cognoscis, putativum conjugem ob fragilitatem, vel alias circumstantias in evidenti incontinentie periculo versari, vel adesse periculum mortis ex parte unius (& consequenter injustam successorem in bonis &c.) donec Dispensatio Romæ, vel ab Episcopo veniat, utere prædicto privilegio, & pro foro conscientie dispensa cum illo, simulque doce, qualiter Matrimonium de novo contrahere possit, & debeat juxta dicenda infra §. Reiffenstuel Jus Can. Tom. IV.

fin. quo factio nihilominus pro majori securitate Romanam, vel ad Episcopum, ipso etiam ignorante penitente, pro Dispensatione scribere poteris (valet enim Dispensatio etiam ignoranti impectrata, ut cum aliis bene docet Sanch. Lib. 8. Disp. 26. n. 4. arg. c. Si motu proprio. de Præbend. in 6. & l. universi C. de Precib. Imperat. offerend.) Obstant dein dispensatione voca, vel accede eundem conjugem, illum in forma, quare pro majori securitate præter tuam jam factam, etiam Romæ Dispensationem procuraris; & qualiter ipse ejusdem majoris securitatis causa Matrimonium denno revalidare possit.

552 Et ex his satis patet, ad quid servari hæcenus questionatum privilegium & quàm necessarium fuerit, sufficienter demonstrare, illud probabilis existere, & adhuc subsistere: hoc enim si non esset, dictum privilegium præstari satis tutò non posset. Licet enim Gobath non obstante, quòd prius docuerit in Theol. experim. Tract. 9. n. 720. verosimilius, seu probabilis esse, hoc privilegium non subsistere, præfatam praxim nostram admittit ex eo; quia, inquit, in morbis desperatis satius est adhibere dubiam, quàm nullam medicinam: tamen quia juxta primam propositionem ab Innocentio XI. damnatum certum sit, non licere relicta probabiliori & tutiori, sequi tantum probabilem, minus tutam (qualis juxta ipsam esset opinio de subsistentia privilegii) quando agitur de valore Sacramenti, uti in præsertim res se habet, eò quòd valor Sacramenti à dispensatione valida, hæc vero à subsistentia privilegii subsistat; Doctrina Gobathii difficultate non caret. Dum econtra stante nostra doctrina de probabiliori privilegii subsistentia, memorata praxis pro foro interno tuta, & in se sancta, utpote ad plurima peccata præcavenda ferviens, simulque cauta ac provida apparet.

553 Resp. III. Præter memorata privilegia Regularibus in quacunque orbis parte existentibus concessa, sunt adhuc alia pro certis locis concessa. Sic Carmelitæ habent privilegium dispensandi cum Neophytis in Regno Perlarum super omnia impedimenta Consanguinitatis, & Affinitatis, excepto primo gradu, uti ex Bulla Pauli V. refert Augustinus à Virgine Maria s. Missionarii n. 19. Bosco de Inmodum. Matrim. Disp. 12. sect. 13. conclus. 2. n. 11. Bonagrata Capucinus Summ. Matrimonium à n. 288. post Basseum, & Cyprianum etiam Capucinos refert, quòd oraculo Gregorij XIII. concessum sit.

Patribus Societatis, pro partibus duntaxat septentrionalibus, privilegium dispensandi cum iis, qui contraxerunt vel clandestinè, etiam ubi Concilium Trident. est receptum; vel coram non proprio Parocho, vel cum impedimento criminis, ignorantes esse impedimentum; vel cum impedimento consanguinitatis, aut affinitatis in quarto gradu, aut cum impedimento comaternitatis, vel commaternitatis spiritualis.

554 Verum quia vivæ vocis oracula sublata sunt per Gregorium XV. & Urbanum VIII. frustranea est allegatio illorum, cum privilegia hæc non amplius valeant, unde etiam non reperuntur in compendio privilegiorum Societatis Jesu, uti advertit Bosco loc. cit. num. 194.

Nec dicas, vivæ vocis oracula posse adhuc præstari pro foro interno, non obstantibus revocationibus Gregorij XV. & Urbani VIII. prout multi putant. Respondetur enim, id falsum, aut certè periculosum, nec tutum in conscientia esse, exceptis illis oraculis, quæ de novo post dictos Pontifices sunt confirmata, aut post illos de novo concessa, prout amplius demonstrabimus Lib. V. Tit. XXXIII. de Privileg.

De Dispensatione super impedimento petendi Debitum conjugale.

SUMMARIUM.

- 555 Ratio Ordinis.
- 556 Quibus modis privetur quis Jure petendi debitum?
- 557 Assignantur varii modi. *Ibid.* & seq.
- 559 Possunt Episcopi dispensare super tali impedimento, si provenit ex voto, quod tollere possunt dispensando: qua sint hæc vota?
- 560 Quid Juris, si vota fiant cum intentione ingrediendi Religionem?
- 561 Aut per modum mutui contractus? & duobus seqq.
- 562 Episcopi possunt dispensare super impedimento petendi debitum, & provenientie ex voto perpetuæ castitatis.
- 563 Vel incestu post Matrimonium commissio.
- 564 Item potest etiam Capitulum.
- 565 Possunt etiam Regulares Mendicantes dispensare super impedimento petendi debitum, si provenit ex voto.
- 568 Etiam perpetuæ Castitatis ante Matrimonium emissio.
- 569 Probatur.
- 570 Solvitur Objection.
- 571 Possunt etiam dispensare super impedimento petendi debitum, proveniente ab incestu post Matrimonium commissio.
- 572 Probatur ex Privilegio.
- 573 Declarationes vivæ vocis oraculo factæ, non sunt revocata.
- 574 Confirmatur, & num. seq.
- 576 Ad dispensandum super impedimento petendi debitum non indigent Regulares speciali facultate Superiorum, si impedimentum provenit à voto.
- 577 Imò nec indigent, undequaque proveniat, & num. seq.
- 579 Probatur minus efficaciter.
- 580 Probatur efficacius.
- 581 Requiritur autem iusta causa.

**E**Xaminata dispensatione super impedimentis Matrimonii, merito sequitur §. de dispensatione super impedimentis petendi debitum conjugale, quæ impedimenta ante & post Matrimonium contrahi possunt.

556 **Q**ueritur I. Quibus modis privetur conjux Jure petendi debitum conjugale, seu contrahat impedimentum petendi debitum? Resp. I. variis ex causis privari conjugem Jure petendi debitum conjugale. Veluti I. per simplex votum Castitatis sive ante, sive post Matrimonium, emissum; quo tamen non obstante debitum reddere potest, & tenetur juxta dicta suprà Tit. VI. num. 25.

557 **I**I. Per votum ingrediendi Religionem, per quod etiam impeditur à reddendo ante consummationem; postquam autem Matrimonium est illicite consummatum, licet petere & reddere potest debitum etiam sine Dispensatione. Sanchez lib. 9. de Matrim. n. 14. & 15. Peliz. Tract. 8. cap. 3. sect. 2. n. 267. & alii. Ratio est; quia antequam vovens Matrimonium consummat, potest adhuc, & vi voti tenetur ingredi Religionem; consequenter fit etiam reddendo illud consummat, peccat; quia inhabilem se reddit ad votum, stante Matrimonio, servandum; ob quod etiam postea licet & valide petere ac reddere potest, licet illud soluto Matrimonio reviviscat, prout amplius citati Doctores & TT.

III. Quando scienter perfectam habet copulam cum sui conjugis consanguinea persona in secundo, non item in posteriori gradu; prout amplius habetur Tit. XIV. de Consanguinitate, & Affinitate §. 2. à num. 53.

Per cognationem tamen spirituales non privatur Jure petendi debitum per dicta Tit. XI. de Cognatione spirituali n. 30. & seq.

559 **Q**ueritur II. An, & qualiter possint Episcopi dispensare super impedimento petendi debitum conjugale? Resp. I. Possunt Episcopi dispensare super impedimento petendi debitum, quando impedimentum provenit à tali voto, in quo Episcopi possunt dispensare. Conclusio caret controversia ob evidentem rationem; quia si dispensando tollere possunt, & actu tollunt votum, quod est unica causa & radix impedimenti, utique etiam tollere possunt, & dispensando tollunt ipsam impedimentum, eò quod cessante causa, cessat effectus, per vulgaria utriusque Juris.

In quibus autem votis Episcopi dispensare valeant, habes Lib. III. Tit. XXXIV. de Voto, & Voti Redempt. à n. 27. quibus adde, quod, quia juxta ibidem dicta, possunt Episcopi dispensare in omnibus Papæ non reservatis, possunt etiam dispensare in voto Castitatis perpetuæ, absolutè & perfectè emissio post contractum Matrimonium, sive dein cum vel sine consensu alterius conjugis, sive ab uno vel ab utroque conjuge emittatur; eò quod vota castitatis post contractum Matrimonium, quantumvis absolutè & perfectè elici videantur (dummodò non eliciantur cum intentione ingrediendi Religionem, vel per modum mutui contractus, ob dicenda infrà n. 561.) non sinit nec dici possint perfectæ castitatis (& consequenter nec reservata) hoc ipso, quod stante illo conjux vovens adhuc possit, ac etiam teneatur saltem reddere debitum. Sanch. lib. 8. de Matrim. Disp. 11. per totum, quem sequuntur Quintana duenas singularium Tract. 9. singulari. 2. nu. 2. Gobath. in Theolog. experiment. Tract. 10. num. 630.

560 **D**icitur autem notanter dummodò non fiat cum intentione ingrediendi Religionem, tunc enim, & à fortiori, si conjux post contractum, sed nondum consummatum Matrimonium, absolutè vovet ingredi Religionem, Episcopus intra primum bimestre, nec absolutè, nec ad petendum, vel reddendum debitum dispensare potest, uti bene advertunt Pellizaris Tract. 8. cap. 3. sect. 2. nu. 269. & 278. Sanch. de Matrim. lib. 8. Disp. 11. n. 4. Ratio est; quia, cum ante Matrimonium consummatum conjux intra primum bimestre adhuc possit ingredi Religionem c. Ex publico. 7. de Convers. conjug. & ad id vi voti teneatur, manet votum reservatum; quamvis, si semel consummavit, durante Matrimonio ad nil amplius teneatur, sed liberè, & absque dispensatione debitum petere, ac reddere valeat, ut bene docet. Peliz. loc. cit. n. 272. 269. Sanch. loc. cit. & adhuc magis lib. 9. Disp. 35. n. 23. rectè tamen addentes, tale votum soluto Matrimonio iterum obligare ad sui impletionem.

561 **D**icitur ulterius; dummodò non fiat per modum mutui contractus, aut reciproca conventionis, vi cuius à petendo & reddendo abstinere licet & valide vovent. Cum enim in tali casu utraque pars vi conventionis sit liberata etiam de obligatione reddendi debitum, consequenter votum liberè observare possit, & debeat, ac uti supponitur, votum sit perfectum & absolutum, dispensare in illo Episcopus non valet. Sanchez lib. 9. de Matrim. Disp. 37. n. 10. Abb. in c. 1. de convers. conjug. n. 6. & ibi Innocent. in sine, ac Joannes Andreas n. 2. Anchar. in c. Dudum. eodem n. 12. cum communi tam

tem TT. quam Jurisperitorum. arg. Can. quod Deo. 4. cau. 33. ibi: Quod Deo part consensu voveris, perseveranter usque in finem reddere ambobus. A quo proposito si lapsus est ille, tu saltem instantissime persevera.

562 **E**t quamvis aliqui, ut Rodriquez Tom. 1. 99. Regular. 99. 63. n. 2. Sa v. Debitum conjugale. n. 2. Quintana duenas singular. Tract. 9. singul. 2. num. 4. & alii velint, Episcopum poss. cum his nu. proced. positus, dispensare saltem super impedimento petendi debitum conjugale, eò quod hoc non fit propriè dispensare in toto voto (cum stante tali dispensatione conjuges essent sacrilegi, si cum alieno copulam haberent) sed tantum partiali illius effectus, & quoad tempus; quando nempè durat Matrimonium, quo soluto votum rursus obligare incipit. Accedit, quòd juxta dicenda possit Episcopus dispensare in petendo debito cum impeditis ratione voti perfectæ castitatis ante Matrimonium emissi; ergo etiam cum impeditis ratione perfecti voti postea emissi.

563 **T**amen contrarium probabilis tenet Sanch. de Matrim. cit. lib. 8. Disp. 11. num. 10. Eò quòd rationes contrarium sententiam nil vel nimium probent. Prima enim probaret, quòd Episcopus possit dispensare ad partialem effectum illum, ut ligatus Castitatis perpetuæ voto possit nubere, manente voto in sua firmitate quoad reliquos, quod nemo concedit. Altera nil probare videtur; quia negatur pœctas. Siquidem cum illis, qui stante voto castitatis perpetuæ contraxerunt, dispensat vi consuetudinis, ortum suum habentis ab evidentis periculo inconcinentiæ, si conjux nunquam possit petere debitum, & tamen semper teneretur reddere, quòd in casu perpetuæ castitatis post contractum Matrimonium ex mutua conventione minime fit, hoc ipso, quod nulla pars debitum petere teneatur, & reddere licet possit. Hinc, sicut in hoc nulla introducens consuetudinem dispensandi habetur ratio, ita etiam de nulla dispensandi scitur consuetudine Episcoporum; & consequenter nulla habetur potestas dispensandi, exceptis casibus urgentis necessitatis, in quibus Episcopi dispensare potest etiam in voti. Papæ reservatis juxta dicta Lib. III. Tit. XXXIV. n. 37.

564 **R**esp. II. Possunt Episcopi ad petendum debitum dispensare cum conjuge, qui ante Matrimonium emisit votum perpetuæ castitatis, eoque ligatus nupsit. Sanch. lib. 8. Matrim. Disp. 12. num. 4. Joan. Andr. in c. Rufus. Qui Clerici, vel voventes, & ibi Anchar. num. 2. Præposit. num. 6. & plures alii à Sanch. citati contra Sylvestrum v. Dispensatio. 9. 9. n. 15. & v. Matrimonium 7. 4. 5. fin. Guitez. Cunon. 99. l. 1. cap. 23. num. 17. & non paucos alios. Ratio conclusionis est; quia, si Episcopi id non possent de Jure communi scripto, nec ratione urgen is necessitatis, cum ubique haberi possint Regulares Mendicantes præstiti privilegio dispensandi in petitione debiti juxta dicenda infrà n. 568. tamen hoc eis competeret vi consuetudinis, quæ tribuit jurisdictionem c. Cum coningat, de Foro competens. Quòd si tamen in aliqua Diocesi consuetudo hujusmodi non vigeret, libenter cum Adversariis sentinus, videlicet, Episcopum præfata potestate carere, & consequenter debere poenitentiam remittere ad Regulares privilegiatos.

565 **R**esp. III. Potest etiam Episcopus dispensare ad petendum debitum cum illo, qui impeditus existit ratione copulæ habitæ cum sui conjugis consanguinea in primo vel secundo gradu. Sanch. loc. cit. num. 13. Sanchus in Compend. priv. g. v. Absolutio quoad seculares 2. v. Tertio advertendum, ubi cita Communem. Sa. v. Debitum. num. 13.

& plures alii apud Sanch. Ratio est, quæ in priori conclusio.

Resp. IV. Eadem potestas dispensandi competit etiam capitulis sede vacante, per argumenta allegata suprà n. 32. per Doctores, Jura, & rationes ibidem allegatas.

567 **Q**ueritur II. An, & qualiter Regularibus Mendicantibus competat potestas dispensandi cum conjugatis super impedimento petendi debitum? Resp. I. Possunt Regulares Mendicantes dispensare ad petendum debitum cum illis, qui stante voto simplicis Castitatis contraxerunt Matrimonium, si votum est tale, in quo alias Regulares isti possunt dispensare. Patet conclusio ex dictis in simili de Episcopis num. 559. cum circa hoc sit eadem ratio de Regularibus, quæ de Episcopis, præsertim quia dispensandi in votis eadem potestas competit Regularibus Mendicantibus, quæ Episcopis juxta dicta suprà Lib. III. Tu. XXXIV. de voto, & voti Redempt. à n. 27. ac n. 39.

Inferitur, quòd, sicut juxta dicta cit. lib. III. Tit. XXXIV. à num. 39. tam Regulares Mendicantes, quam Episcopi absolute possunt dispensare 1. in voto Castitatis perpetuæ, v. l. etiam Religionis, si est conditionatum, vel pœnale, vel ex metu etiam levi iniuste incusso emissum. 2. in voto temporali seu ad certum tempus. 3. in voto sacros Ordines suscipiendi, ita etiam à fortiori dispensare possunt super impedimento petendi debitum inde exorto.

568 **R**esp. II. Possunt insuper Regulares Mendicantes cum conjuge ad petendum debitum dispensare super impedimento, proveniente ex voto simplicis Castitatis perpetuæ ante contractum Matrimonium factum. Sanch. Lib. 8. de Matrim. Disp. 16. n. 3. Veraxius 1. p. specul. art. 15. Rodriq. Tom. 1. 99. Regular. 4. 63. art. 2. Quintana duenas singular. Tract. 9. singul. 2. n. 5. Henric. lib. 12. de Matrim. cap. 2. n. 9. Hurtado, Sorbus, & alii, qui communiter probant conclusionem ex privilegio à Pio V. concessio nobis Franciscanis 26 Octobris 1569 un referunt in compendio Societatis. Verum quia citati DD. ipsimet fatentur, hoc privilegium esse tantum vivæ vocis oraculo concessum, consequenter revocatum per Bullam Gregorii XV. & Urbani VIII. quibus omnium quorumcumque Regularium privilegia cuncta solo vivæ vocis oraculo concessa, expressè revocantur, dictò privilegio conclusio sufficiet, non probatur, nisi prius probetur, hoc privilegium post dictas Bullas de novo esse concessum, vel vivæ vocis oracula, non obstantibus præfatis Bullis, adhuc practicari posse in foro poenitentiae (prout plures Regulares etiamnum docent) de qua doctrina infrà Lib. V. Tit. XXXIII. de Privileg.

Hinc aliter probatur Conclusio: Possunt Regulares Mendicantes dispensare in omnibus votis, in quibus Jure Ordinario possunt Episcopi per dicta Lib. III. Tu. XXXIV. de voto, & voti Redempt. nu. 39. atqui Episcopi possunt dispensare ad petendum debitum in voto Castitatis perpetuæ ante Matrimonium emissio per dicta suprà num. 568. ergo idem etiam poterunt Regulares Mendicantes.

Dices: Episcopus non dispensare cum conjuge in voto castitatis ante Matrimonium emissio, sed tantum in surgente inde impedimento petendi debitum, remanente voti vigore quoad reliquos effectus, adeo ut, non obstante dispensatione hac, conjux maneat obligatus, soluto Matrimonio, servare castitatem, ac etiam sacrilegium committeret, si durante Matrimonio copulam haberet cum alio, ergo procedens privilegio non

substitit, quia non valet argumentari: Regularis possunt dispensare in omnibus votis, in quibus iure ordinario possunt Episcopi; ergo etiam possunt dispensare in impedimentis, in quibus possunt Episcopi. Negatur enim consequentia & paritas, cum aliud sit dispensare in votis, aliud in impedimentis, neque ad hæc, sed illa tantum dispensanda Mendicantes consimilem Episcopis habent potestatem juxta dicta supra. Resp. Negando primam Consequentiā. Ad probationem distinguitur: à potestate dispensandi in votis non licet inferre dispensandi potestatem in impedimentis, in casibus, in quibus impedimentum non oritur ex voto; conceditur, in casibus, in quibus impedimentum oritur ex voto, seu potius est ipsum votum, negatur. Cum itaque in presenti solum votum ante nuptias emissum obstat, & impediatur, seu ipsam sit impedimentum, quod conjux illo adstrictus nequeat petere debitum, palam est, illum, qui dispensare potest in tali voto, posse etiam dispensare in impedimento, quod est ipsum votum. Ad primum antecedens pariter distinguitur: Episcopus ad præsens non dispensat in perpetuo castitatis voto, quoad omnem ejus partem, & effectum, conceditur, non dispensat quoad aliquam ejus partem, & effectum, obligationem nempe non petendi debitum, negatur. Neque plura ad præsens tribuimus Regularibus, quam quoad ad modum Episcopi non in toto, sed in aliqua parte seu obligatione dispensare valeant.

Cæterum ultra conceditur totus discursus, quod non valet argumentari à potestate dispensandi in impedimentis, consequenter ex eo, quod vi privilegii possunt dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, non possunt dispensare in omnibus impedimentis, in quibus possunt Episcopi, prout jam dictum est supra.

**571** Resp. II. Possunt Regulares Mendicantes dispensare ad petendum debitum cum conjuge, qui post contractum Matrimonium cum sui conjugis consanguinea etiam in primo gradu incestum commisit, & consequenter affinitatem cum proprio conjuge contraxit, Sanchez lib. 8. Disp. 16. num. 8. Sorb. in compend. Privileg. v. Absolutio. 2. quoad seculares. Veracruz 1. p. spec. art. 23. in fine. Henriquez lib. 11. de Matrim. cap. 15. n. 11. Quintenad. singular. tr. 9. sing. 3. & alii, qui à potiori iterum probant conclusionem ex privilegio vivæ vocis oraculo nobis Franciscanis concessio per Pium V. illis verbis *possunt dicti Confessarii, si sint viri docti & formâ Concilii Trident. approbati, ex commissione Provincialis dispensare in foro Conscientiæ ad petendum debitum cum his qui Consanguineum, vel Consanguineam sui conjugis post Matrimonium carnaliter cognoverunt.* Verum hæc probatio non videtur sufficiens juxta dicta in simili supra nu. 568.

**572** Hinc probatur aliter & efficaciter ex Privilegio Eugenii IV. quod non vivæ vocis oraculo, sed per Bullam concessit Benedictinis Congregationis Cassinensis 1436. pridie Calendas Julii, & refertur in Bullario Cassin. Tom. 1. Constit. 36. quam etiam alii allegant Doctores, præsertim verò Murga Tom. 2. Disquisit. Moral. Disquisit. 1. Dub. 13. num. 121. Licet enim in præfata Bulla expressè non continetur facultas dispensandi cum incestuosis conjugibus ad petendum debitum, ac propterea ab initio de illa fuerit dubitatum, tamen postea Julius II. expressè declaravit, hanc potestatem vi dictæ Bullæ Eugenii esse censis concessam: quam declarationem suam notificari fecit per Ludovicum Cardinalem, & Pœnitentiarii suum, uti patet ex illius litteris sigillo Pœnitentiarii signatis; & (teste eodem Murga) Authentico Cassinens. Bullario insertis,

sequenti tenoris: *Nos igitur auctoritate Domini nostri Papæ, cujus Pœnitentiarii curam gerimus, & de ejus speciali & expresso mandato, super hoc viva vocis oraculo nobis factio, ut tam vigore concessionis Apostolicæ prædictæ, quam verborum hujusmodi in illa appositum, vos & pro tempore existentes dilectorum Monasteriorum Abbates, Priores, Præsidentes, & Monachi prædicti conjugatos hujusmodi, qui post contractum Matrimonium Consanguineas uxorum suarum cognoverunt, vel uxores, que à Consanguineis virorum suorum se carnaliter cognosci permisissent, à talibus excessibus absolovere & eis salutarem pœnitentiam injungere, nec non cum eis, & eorum quolibet, ut non obstante affinitate superveniente, debitum conjugale reddere & exigere valeant, dispensare liberè & licitè valeatis, ac valeant, perpetuo declaramus. In contrarium non obstantibus quibuscunque.*

Nec dicas, hanc declarationem à Julio II. esse concessam solo vivæ vocis oraculo, consequenter revocatur per Bullam Gregorii XV. & Urbani VIII. Nam contra est, quod, etsi in dictis Bullis revocentur ipsa privilegia & facultates solo vivæ vocis oraculo concessa, minimè tamen revocentur declarationes, que vivæ vocis oraculo sunt super privilegiis Bullatis; quia talis declaratio non novi concedit, sed præcisè, quod jam concessum est declarat, & statim à principio implicitè jam ineft illi, in eoque continetur, quod postea declarat, ut diximus in Proemio §. VIII. n. 132. arg. Auth. de Rapt. Mulierib. §. An. collat. 9. cum concordat. Confirmatur conclusio num. 571. posita: Possunt Regulares Mendicantes in impedimento affinitatis dirimente pro foro conscientie dispensare, ut conjuges illo non obstante possint Matrimonium prius nulliter contractum revalidare, & in illo permanere, debitumque petere ac reddere valeant juxta dicta à n. 542. ergo etiam poterunt in affinitatis impedimento post Matrimonium contractum, solumque petitionem debiti impediente dispensare.

His accedit etiam universalis consuetudo, vi cujus constat, quod Regulares passim dispensent pro foro interno cum incestuosis conjugibus ad petendum debitum. Consuetudo autem tribuit Jurisdictionem c. Duo simul. de Off. Ordin. eaque acquiritur privilegium per dicenda infra: ergo.

Quæritur IV. An ad validè & licitè dispensandum cum impeditis ad petendum debitum requiratur, ut Confessarii Regularium ad hoc specialiter deputati sint, habeantque licentiam specialem à suis superioribus Majoribus v. g. apud nos à Provinciali, vel non? Resp. I. Si conjuges impediuntur à petendo debito ratione voti ante vel post Matrimonium emitti, nulla requiritur specialis licentia, vel deputatio à Superiore Majoriore. Conclusio videtur carere controversia. Ratio est; quia certum est, quod Confessarii Regulares possint vi privilegiorum absque ulla speciali deputatione, vel licentia Superioris dispensare in votis; ergo etiam in impedimentis petendi debitum, que ex votis supervenit, vel potius ipsamet vota sunt; nam hoc ipso, quod dispensando auferant votum, auferunt etiam impedimentum petendi debitum juxta dicta supra n. 559.

**573** Resp. II. Quamvis si spectare velimus solum privilegium à Pio V. nobis Franciscanis, & ab Eugenio Benedictinis concessum, securus, & probabilis videatur, Confessarios Regularium non posse dispensare ad petendum debitum, quando conjux ab eo impeditur ratione affinitatis contractæ ex copula post contractum Matrimonium habita cum aliqua sui conjugis consanguinea in primo, vel secundo

secundo gradu; tamen id possunt vigore privilegii à Leone X concessi. Primam partem Conclusionis docet Rodriguez Tom. 1. qq. Regular. q. 63. art. 1. Portel. in dub. Regular. v. Confessor. nu. 23. Henrix Disp. q. devoto. q. 6. num. 63. Murga, & alii satis communiter. Ratio est; quia in memoratis privilegiis expressè requiritur, ut Confessarii ad hoc specialiter deputentur, seu specialem commissionem, & licentiam à Provinciali vel Abbate habeant, uti patet legenti Bullas; Privilegia autem non plus operantur, quam verbis exprimitur juxta commune axioma DD. arg. c. Recepimus, & c. Porro de Privileg. nec extendi debent, præsertim si sunt Jure communi contraria arg. c. 1. & 2. de Filiis Presbyt. juncto c. cum Capella. 16. c. Paforalis. 16. de Privileg. cum Concord. ergo.

**574** Alteram Conclusionis partem expressè tenet Diana p. 5. Tract. 15. Resolut. 46. citans etiam Cælestino in compend. Theolog. Moral. Tract. 8. cap. 15. eandem docet Anton. à Spirito S. in Direct. Regular. p. 1. Tract. 2. Disp. 1. sect. 2. §. 3. num. 112. citans Leand. Martin. à S. Joseph. Burdon. & alios. Probat Diana cum Cælestino suam opinionem ex eo, quod, licet Eugenius IV. & Pius V. dederint privilegium cum clausula, ut Confessarii Regulares illud practicandum specialem debeant habere licentiam Superioris, tamen postea Pontifices successores idem privilegium aliis Regularibus communicaverint sine simili clausula restrictiva. Verùm hoc argumento non videtur sufficienter probari intentum; quia, si alii Regulares idem privilegium per solam communicationem habent, uti fateatur hi DD. non plus nec alter participant, quam privilegium communicatum sonat; alias enim non esset pura communicatio ejusdem, sed nova concessio, prout cum communi aliorum magis dicitur Lib. V. Tit. XXXIII. de Privileg. & excess. privilegiat.

**579** Hinc probatur secunda pars conclusionis aliter ex alio, ac distincto privilegio, videlicet Leonis X. supra §. præc. n. 543. allegati: cum enim videtur privilegii possint Confessarii Regulares Mendicantes legitime approbati & expositi, absque ulla speciali deputatione, vel licentia superioris dispensare in foro conscientie cum conjugatis super impedimento affinitatis dirimente, ita ut Matrimonium nulliter contractum revalidare, in eoque permanere, debitumque petere ac reddere valeant, multò magis poterunt super eodem affinitatis impedimento solum petitionem debiti impediente dispensare juxta Reg. 53. l. in 6. Cui licet, quod est plus, licet utique quod est minus, etiam in materia privilegiorum, si minus & minus sunt ejusdem ordinis, & minus in majori includitur, uti in præfati; quia potestas dispensandi super impedimento dirimente implicitè etiam includit potestatem dispensandi super impedimento petendi debitum, utpote quod liberè petere possunt conjuges incestuosi, statim ac sunt dispensati super impedimento affinitatis dirimente, cum quo contraxerunt.

**580** Hinc dicto privilegio Confessarii absque ulla speciali licentia in foro conscientie securè uti possunt, præsertim cum in Dispensatione ad petendum debitum non agatur de valore Sacramenti, sed tantum de honestate actus.

**581** Queritur V. An etiam requiratur causa ad dispensandum in petitione debiti? Resp. Affirmative, sive Episcopus quæ Regularis dispenset. Unanimis & certa; quia nulla dispensatio in lege Superioris substitit sine causa per dicta Lib. I. §. XVII. Solet autem ordinari semper adesse causa, videlicet periculum incontinentie saltem respectu viri.

De Revalidatione, seu Ratificatione Matrimonii invalidè contracti.

## S U M M A R I U M.

- 582 Ratio Ordinis.  
 583 Matrimonium variis modis invalidè contracti potest.  
 584 Controversia præfatis §. que?  
 585 Ad revalidandum Matrimonium requiritur novus consensus utriusque conjugis: Et num. seq.  
 587 Requiritur etiam, ut pars nullitatis ignara certioretur de ea.  
 588 Probatur ex litteris Dispensationis.  
 589 Et responso Clementis VIII.  
 590 Ratione.  
 591 Solvitur Objeccio: & seq.  
 595 Dum ignorans certior sit de nullitate prioris Matrimonii non est necesse, revelare nullitatis causam.  
 596 Securissimus modus alteri notificandi nullitatem Matrimonii quis?  
 Invalidum esse, & non esse paria sunt. Ibidem.  
 597 Alius modus notificandi alteri nullitatem, & sollicitandi ab eo consensum, sub conditione nempe si prius Matrimonium invalidum esset, & seq.  
 599 Solvuntur Objectiones contra hunc modum, & seq.  
 601 Qualiter in praxi disponendus sit ignorans nullitatem, ut ad novum Matrimonium consentiat, & seq.  
 603 Alius modus sollicitandi novum consensum ignorantis nullitatem per tertium videlicet.  
 604 Novus consensus debet dari per verba de præfati.  
 605 Juxta aliquos sufficit subinde notitia, & consensus unius.  
 Reprobatur. Ibidem.  
 606 Requiritur etiam notitia nullitatis, & novus utriusque consensus, si ex solo defectu consensus unius nullum fuit Matrimonium, & num. seq.  
 608 Solvitur Objeccio.  
 609 Confirmatur ex responso Clementis VIII.  
 610 Si impedimentum evadit publicum, debet de novo contrahi in præfatis Parochi, & testium.  
 611 Secus si est occultum.  
 612 Probatur hoc ex declaratione Pii V. & Formulâ litterarum Dispensationis.

EX dictis & continuè experientia patet, per sepe Matrimonia invalidè contracti ob vigentia inter conjuges impedimenta dirimentia, ut proinde Dispensatio super illis, & Matrimonii invalidè contracti revalidatio necessaria. Hinc rectus ordo requirit, ut postquam de Dispensatione post Matrimonium invalidè contractum obtinenda, in præcedentibus sufficienter jam egimus, agamus etiam de Revalidatione Matrimonii, seu de novo Matrimonio, quo Matrimonium prius invalidè contractum, vi Dispensationis revalidari, & de novo quasi contrahi possit, & debeat.

Notandum autem prius, Matrimonium variis modis invalidè contrahi posse: videlicet vel ob impedimentum aliquod dirimens publicum, aut occultum, idque uni soli, vel utrique conjugi notum: Vel ex solo defectu consensus ex parte unius,

vel utriusque; ut si ex parte unius, vel utriusque esset tantum simulatus, aut fictus consensus, aut error circa substantiam, seu individuum personæ, aut circa conditionem: vel ob metum injustè incussum. Hoc notato,

524 Gravissima, & Apostolica decisione profectò dignè sunt controversiæ inter Doctores; primò, an ad revalidandum Matrimonium invalidè contractum, unus conjugis sufficiat, vel utriusque requiratur consensus. Secundò, an, quando, & quomodo alteri conjugi, qui impedimenti nescius bonâ fide contraxit Matrimonium, nullitas illius notificari debeat? Tertio, an, & quando ad revalidandum, seu de novo contrahendum Matrimonium priùs invalidè contractum denudò requiratur presentia Parochi, & testium? De quibus singulis singula ponemus quæsitâ.

525 Queritur I. An obtentâ Dispensatione ad revalidandum Matrimonium invalidè contractum sufficiat unus! vel requiratur utriusque consensus! & qualis? Item an, & qualiter certior fieri debeat de nullitate Matrimonii ignorans illam, casu, quo Matrimonium invalidè fuit contractum ratione aliquos impedimenti dirimentis v. g. Affinitatis, Criminis &c. Resp. I. In tali casu non sufficit novus ad contrahendum consensus unus, illius nempe, qui conscius impedimenti occulti Dispensationem procurari fecit, sed omninò requiritur expressus novus consensus utriusque. D. Thom. in 4. dist. 40. q. un. art. 4. ad 6. Scotus in 4. dist. 35. q. un. §. Respondeo. v. Primus consensus. Bosco Disp. 12. de Impediment. Matrim. sect. 14. conclus. 2. Sanchez lib. 2. de Matrim. Disp. 35. num. 2. Gutierrez de Matrim. cap. 47. d. n. 3. Hosten. in c. 1. de Eo, qui duxit in Matrimonium, & ibi Innocent. n. 1. Anchar. n. 4. Alex. de Nevo n. 15. Henriquez de Matrim. lib. 12. cap. 1. n. 7. Pontius lib. 4. Disp. 24. nu. 2. cum communissima aliorum contra nonnullos citatos apud Sanchez loc. cit. nu. 1. & Disp. 36. num. 5. relatos, volentes sufficere, si sola pars conscia impedimenti consentiat. Ratio est; quia ad essentiam Matrimonii requiritur expressus, verus, & validus utriusque conjugis consensus. arg. I. Nuptias. 30. ff. de R. l. & can. sufficiat. 2. cau. 27. q. 2. consequenter cum prior consensus stante impedimento ad Matrimonium habitus, ex parte utriusque fuerit invalidus & nullus, utpote inter personas inhábiles præstitus, omninò requiritur novus ex parte utriusque.

526 Confirmatur. Fatentur omnes etiam Adversarii, quòd, si ambo conjuges prorsus nullam habuissent consensum ad contrahendum Matrimonium, ad illud revalidandum requireretur consensus utriusque; ergo etiam si consenserunt quidem, sed invalidè ac nulliter, quia nulliter seu invalidè factum, & non factum, seu invalidum esse & non esse, paria censentur. L. Quoties. ff. qui satisdare cog.

527 Resp. II. Ut consensus ad revalidandum Matrimonium invalidè contractum, ab utroque ritè præstetur, requiritur, ut obtentâ Dispensatione etiam altera pars impedimenti ignara, aliquo modo prudenter & cautè certior fiat de nullitate Matrimonii priùs contracti. Scotus loc. cit. Bosco loc. cit. Pontius de Matrim. lib. 4. cap. 25. d. num. 2. Sanchez lib. 8. Disp. 36. nu. 4. Gutierrez de Matrim. cap. 47. d. num. 4. Navarr. Manual. cap. 22. num. 17. Tambur. Tract. 4. cap. 7. §. 4. Palao, Hurtado, Averfa, Coninck, & communis aliorum contra Henriquez lib. 11. cap. 3. n. 6. Ledelma de Matrim. q. 45. art. 3. dub. ult. §. sed dubium est, & alios apud Sanchez lib. 2. Disp. 36. num. 2. relatos, volentes, sufficere, si obtentâ dispensatione conscius

nullitatis ab altero nullitatem ignorante petat, ut secum de novo contrahat, vel in conjugem accipiat, & annentem vicissim in conjugem recipiat, nec esse necesse, ut nullo modo de nullitate Matrimonii mentionem faciat.

528 Probatur autem conclusio nostra primò ex formula Dispensationis litterarum S. Penitentiarie, ubi expressè requiritur, ut pars ignorans nullitatem de eadem certioretur, uti patet ex formula supra allegata; ibi: muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur: quæ clausula cum in ablativo posita conditionem requirat arg. l. si debitor. §. i. ff. quibus modis Pignora. necessariò observanda erit.

529 Probatur secundò ex declaratione & responso Clementis VIII. ponendo infra n. 609.

530 Probatur tertio ratione: Impossibile est, ut Matrimonium priùs invalidè contractum novo consensu revalidetur, nisi utraque pars priùs sciat nullitatem Matrimonii; quia nil voluit, quin præcognitum, consequenter si aliqua pars conjugum ignorat, prius Matrimonium fuisse invalidum, illud tanquam priùs invalidum novo consensu ratificare non potest cum, etsi nescio quo consensu, vel actu v. g. copula animo conjugali habita illud ratificet, id aliter non faciat, quam quia credit, illud esse validum, siquæ ex errore tanquam validum, & non tanquam invalidum confirmet, & ratificet. Nam actus agendum ultra eorum intentionem non operatur l. Non omnis. q. prout. ff. si certum petatur.

531 Confirmatur: Consensui nil magis obest quàm error l. si per errorem. 15. ff. de Jurisdic. ibi: Quid enim tam contrarium est consensui, quàm error, qui imperitiam detegit & l. Nihil. 116. ff. de R. J. ergo quia ignorans nullitatem Matrimonii consentit in illud ex errore, & ex eodem illud per actus conjugales ratificat, putans, ex ignorantia & errore, illud esse validum, nullius est ipsius consensus.

532 Obijciunt contra utramque conclusionem; consensus, qui ad inendum Matrimonium femel verè datur, moraliter semper perseverat, donec revocetur. arg. c. fm. de Procurat. & l. 1. §. 1. ff. de V. O. ergo etiam perseverat in illo, qui consensum ex ignorantia impedimenti & bona fide dedit. Unde licet priùs propter obtinens impedimentum talis consensus non efficiat Matrimonium, efficit tamen illud, si impedimento per dispensationem sublato, nonndum revocatus adhuc perseverat, & alterius nullitatem scientis novus consensus expressè accedat; consequenter non requiritur, ut ignorans impedimentum, de novo etiam consentiat, multò minùs, ut de nullitate Matrimonii certioretur. Resp. Distinguendo Ant. consensus femel verè datus perseverat, donec revocetur, si fuit validus, conceditur, si fuit invalidus, negatur ant. & consequentia. Licet itaque ignorans impedimentum consenserit in Matrimonium; tamen quia consensus illius fuit invalidus, idem est, ac si non consensisset, seu nullum habuisset consensum per Jura allegata num. 526. Consensus autem, qui nunquam extitit, perseverare non potest; cum non entis non sint qualitates.

533 Instabit: etiam invalidus ad Matrimonium consensus perseverat, & perseverans sufficit ad revalidandum Matrimonium invalidè contractum l. si quis 27. & l. Eos qui 65. ff. de Ritu nupt. ubi expressè cavetur, quòd Matrimonium ratione status personæ invalidè contractum revalidetur, si status & Officium amittitur: ergo. Resp. Leges loqui de casu, quo alter cognita priori nulli-

nullitate in conjugio scienter perseverans actu conjugali, vel alio signo externo novum consensum exprimit.

534 Confirmatur responso ad utramque objectionem. Si, uti volunt objectiones, sufficeret ad revalidandum Matrimonium quòd consensus quantumvis ex errore, & ignorantia, & invalidè datus non sit revocatus, consequenter adhuc perseveret; sequeretur etiam ex parte illius, qui post Matrimonium contractum in notitiam impedimenti venit, non requiri consensum, sed sufficere, quòd nunquam revocatus adhuc moraliter perseveret; atqui, sequela est contra ipsos adversarios: ergo.

535 Obijciunt Secundò, quando impedimentum per dispensationem aliquando est sublato, sunt personæ dispensatæ verbè habiles, possuntque pro libitu Matrimonium revalidare, & de novo contrahere, illudque verè contrahunt, si ambo de novo consentiant, etsi unus tantum prioris nullitatis notitiam habeat, consequenter saltem non requiritur ut etiam pars altera de nullitate certior fiat; cum Matrimonium solo mutuo consensu habiliam ad contrahendum valdè contrahatur, arg. cit. l. Nuptias 30. ff. de R. J. Resp. disting. sublato per dispensationem impedimento possunt conjuges Matrimonium priùs invalidè contractum revalidare, & de novo contrahere, si ambo dant verum novum consensum, seu de novo consentiant ad Matrimonium novum, & à priori distinctum contrahendum, conceditur, si non ambo, sed unus tantum eorum dat novum consensum, alter verò de novo consentit, non ad novum, sed ad priùs invalidum, negatur. In casu autem, quo unus conjugum Matrimonii nullitatem ignorat, non dat consensum ad Matrimonium novum, sed ad antiquum invalidum hoc ipso, quòd putet esse impossibile, stante priori Matrimonio (quòd de factò adhuc credit validum) novum contrahere, consequenter ipsius consensus non nisi in præcedens Matrimonium feratur, illudque solum, quòd priùs gestum erat, approbare, & ratificare censetur, nullam habent cogitationem de Matrimonio novo, utpote quòd ex errore nec possibile, multò minus necessarium credit.

536 Confirmatur responso: si solus novus consensus conjugalis sufficeret ad revalidandum invalidè contractum Matrimonium, sequeretur, quòd sublato per Dispensationem impedimento ex parte nullius conjugis requireretur notitia nullitatis prioris Matrimonii, sed sufficeret, dummodo Confessarius ipsi etiam ignorantis dispensationem impetraret, eaque impetrata conjuges dispensationis ignari per copulam animo conjugali factam, seu continuatam vel alio modo novum consensum exprimerent; cum nulla appareat ratio, quare, si ex parte unus sufficit novus consensus sine notitia prioris nullitatis, non sufficiat etiam ex parte alterius; atqui sequela rursum est contra omnes etiam Adversarios: ergo.

537 Queritur II. Qualiter ergo in praxi ignorans nullitatem de ea certior fieri, & consensus de novo præstari possit ac debeat? Resp. I. Ad id non necesse, ut ignoranti nullitatem causa nullitatis v. g. impedimentum criminis, aut affinitatis ex præcedenti copula fornicaria cum consanguinea persona conjugis contractæ manifestetur; sed potius debet ignorans nullitatem de ea ita prudenter & cautè certior fieri, ut alterius delictum nullatenus detegatur. Unanimis, & certa, patetque ex formula Dispensationis litterarum Sac. Penitentiarie, ubi expressè præscribitur, ut manifestatio nullitatis ita cautè fiat, ut alterius delictum nusquam detegatur.

538 Resp. II. Ad propositum pro insinuanda nullitate servire, & quadrare sequentes modos. Primus siquæ securissimus est, ut, si consideratis conditionibus & qualitatibus conjugum, nullum tinendum est periculum scandalii, diffamationis &c. pars nullitatis conscia nil dicens de causa nullitatis, in genere sincerè patefaciat alteri nullitatem Matrimonii dicendo v. g. Multum angor in conscientia quia credo, vel puto Matrimonium inter nos ex aliqua causa non esse validum, hinc rogo te, ut ad pacandum conscientiam meam de novo contrahas mecum. meque in conjugem novo consensu accipias, prout ego te ex nunc in conjugem accipio: quòd si aliter conjugem ita amet, ut sine hæsitacione dicat: placeo, consentio, de novo te in conjugem accipio &c. res salva est: si verò interroget causam, potest vel rogare, ut ad hoc non adstringat; vel potest dicere, se ab initio non consensisse, vel non habuisse verum & sufficientem consensum, quòd cum veritate dicit; quia consensus ratione impedimenti invalidus reverà non est sufficiens, nec est verus, id est, verè validus ad propositum, sed est, ac si omninò nullus datus fuisset, uti bene advertit Sanch. lib. 2. Disp. 36. n. 7. eò quòd invalidum esse & non esse paria sint, arg. l. quoties ff. qui satisdare cog.

539 Secundus modus nullitatem Matrimonii alteri insinuandi: & novum obtinendi consensum esse potest, conjugem nullitatis inscius causè & prudenter ita disponere, ut internè & externè reverè consentiat ad novum Matrimonium conditionatè, ita, quòd si ex aliqua causa Matrimonium ipsum nullum esset, novusque ad illud revalidandum consensus requireretur, nunc verè consentire & compartem in conjugem accipere velit. Sanch. lib. 2. Disp. 36. n. 5. Bosco de Impediment. Matrim. Disp. 12. sect. 14. concl. 2. Gobat. in Quinar. Tract. 5. cap. 37. d. n. 132. Sporet de Matrim. cap. 2. sect. 2. n. 459. Hærix de Matrim. Disp. 6. q. 2. n. 33. contra Pontium de Matrim. lib. 4. cap. 25. d. n. 4. Ratio est quia licet in tali casu ita consentiens non formalem, tamen æquivalentem habeat cognitionem nullitatis, hoc ipso, quòd facta nullitatis mentione & memoria forsan existentis, expressè, vereque velit, ac consentiat de novo contrahere. si forsan Matrimonium prius invalidum sit, vel esset, quòd sufficere pro certo habet Sporet & Hærix l. c. Et merito, quia cum sublato per Dispensationem impedimento, personæ ad contrahendum omninò habiles sint, nique desit, quàm verus de novo contrahendi consensus, profectò Matrimonium validè de novo contrahetur, si ad id consensus saltem sub conditione, quæ de præsentis existit, si nempe Matrimonium invalidum sit, verè datur, prout datur; eo quòd consensus datus sub conditione de præsentis vel de præterito æquè valeat, quàm absolutus, si conditio vera est, uti in casu nostro, l. cum ad præsens. ff. si certum petatur, & §. Conditiones. 6. Inst. de V. O.

540 Nec refert, quòd tali modo alter non habeat absolutam notitiam de nullitate; quia hæc non requiritur, sed sufficit æquivalens. Notitia enim sui cognitio prioris nullitatis præcisè idèdò requiritur, ut ignorantis novus consensus non referatur ad antiquum Matrimonium, quòd putat validum, sed verè detur ad novum contrahendum, taliter autem datur per præstatum modum hoc ipso, quòd nullitatis forsan existentis memor expressè dicat, velle se de novo contrahere, si prius Matrimonium sit, vel esset nullum.

541 Nec potest huic doctrinæ se opponere Pontius, eò quòd ipsemet l. c. n. 5. fateatur, sufficere talem æquivalentem nullitatis cognitionem, casu quo maritus v. g. inscius nullitatis, ex sincero erga putativam uxorem amore, sua sponte, & absque alia inductione

inductione diceret, ego ita te diligo, ut, si, stante aliquo impedimento Matrimonium inter nos contractum fuit nullum, illudque cessavit, nunc denuo velim contrahere tecum. Non enim apparet, quare in tali casu sufficiat ex æquivalenti nullitatis cognitione, novus consensus conditionatus proprio motu habitus; & non sufficiat idem, si ad eundem ab alio licite inducat.

600 Dices cum Pontio, in hoc posteriori, non item in priori casu intervenire dolam. Resp. hunc dolum esse licitum, & nullatenus obesse valori Matrimonii, quia non dat causam contractui, cum propter eum non detur consensus, nec ei innitatur hoc ipso, quod præcisè versetur circa nullitatem, quam alter non curat, eaque data, & supposita verè de novo contrahere velit; prout aperte indicat, dum, uti supponitur, verè dicit, quod, si Matrimonium prius invalidum sit, vel esset, velit nunc contrahere. Bosco cit. Disp. 12, sect. 14. concl. 2. à nu. 72.

601 Tota igitur difficultas in eo consistit, quomodo, si abque periculo scandalii, vel alterius mali pars altera de nullitate Matrimonii juxta dicta absolute certiorari non potest; prudenter disponi possit ac debeat, ut ex æquivalenti cognitione nullitatis consensus ad novum Matrimonium præbeat sub conditione, si Matrimonium prius invalidum sit, vel esset. Sanch. lib. 2. Disp. 36. nu. 5. & alii ipsam in hoc communiter sequentes putant, conjugem nullitatis consensum bene procedere, si dicat, me ita diligis, ut si non esset inter nos Matrimonium, adhuc velles me accipere pro uxore, & de facto me accipis? Ad hanc enim interrogationem, si alter annuat, & dicat, ita, volo &c. simulque interrogans dicat, pariter & ego volo, validum sit Matrimonium. Verum quamvis in hoc cum Sanch. & aliis nos quoque sentiamus; tamen paulò amplius circa hunc modum ad evitandam omnem alterius suspensionem instructio danda est simplicibus.

602 Notandum itaque, Confessarios debere prudenter instruere conjugem nullitatis consensum (præsertim feminam) ut præfatis, vel similibus verbis non statim ex abrupto quavis habita etiam importuna occasione & tempore dicat; sed invocata prius Dei gratia, licitis modis honestis, amoris, & sinceri affectus ac benevolentiae signis, & affectibus fudeat compatrem sibi obligare, & ad sui honestam amorem reciprocum promovere; quo aequaliter saltem habito utatur occasione, & tempore, & prius suum erga ipsam sincerum affectum, æstimationem, & amorem verbis exprimat. ac contestetur, eoque facto primùm interroget dicendo v. g. Ego verè ac sincerè te diligo, gaudeo, Deumque laudo, quòd te mihi conjugem miserit; profectò si te non accepissim, vel Matrimonium tecum non contraxissim, adhuc acciperem, & de facto accipio, & semper te habeo pro meo dilectissimo conjugē; utique etiam tu similiter me amas; quia nulla major mihi crux foret, quòd te reciprocè non amer; hujusmodi verbis præmissis videat, quid respondeat alter conjug; si consimiliter respondet, res salva, & Matrimonium de novo contractum est, si verò simpliciter dicit, etiam ego amo te &c. non autem addat, quòd si Matrimonium cum ea non contraxisset, de facto contrahere velit; vel dicit quidem, quòd contrahere vellet, sed non velit, de præsentia, prudenter ulterius urgendo interrogare debet: sed nunquid etiam, si me pro conjugē non accepisses, vel Matrimonium inter nos contractum non esset, adhuc mecum contraheres, & nunc de novo me pro tuo fideli conjugē accipere, & semper retinere velis? si annuit, & respondet ita, vel volo, res iterum est salva: si verò respondet, si te non accepissim, adhuc

acciperem, adhuc urgere & interrogare debet, donec termino de præsentia consensum exprimente utatur v. g. & nunc de novo te accipio, vel volo te pro conjugē mpo: idque ad dicenda infra num. 604.

Alius adhuc securior & tutior modus esse potest, 603 si res prudenter ita disponatur, ut habito tempore & occasione prudenter, ne advertatur, per Confessarium v. g. vel prudentem aliquem tertium, cui fidem habet conjux, nullitatis ignarus fiat discursus de præstantia Matrimonii, ejusque difficultatibus, & crucibus; item & præcipue de gratis sacramentalibus, quantum videlicet per has conjuges adjuventur, in amore mutuo conferventur, in variis benedicantur, & ad Matrimonii onera portanda confortentur, quæ gratiæ, si non essent, Matrimonium sepe valde miseris, & infelices effectus haberet; prout multiplex experientia demonstrat in illis, qui existentem inter illos occulto impedimento nulliter Matrimonium contraxerunt; et illud ignorantes bona fide cotraherent; quia nullum tunc fuit Sacramentum Matrimonii, & per consequens nullæ gratiæ sacramentalis. Ob quod (potest pergere Confessarius v. g.) jam aliquibus consulti, vel consulti & utilissimum dixi, ut cum plura sint impedimenta occulta, & variæ causæ, ob quas Matrimonium conjugibus in optima fide existimant, & innocentes ut Matrimonium potest esse nullum, ut conjuges inter se solos de novo sub conditione contrahant, dicente uno v. g. si ex aliqua causa Matrimonium nostrum non esset validum, volo tecum ex nunc, & de novo contrahere: altero sincerè respondente; volo pariter & ego tecum contrahere, & te pro nunc & semper pro meo conjugē habere: tali enim modo sapissimè sufficienter consulti, & effectus sacramentalium: post hujusmodi discursum exspectet, & videat conjux nullitatis consensum, an non post discessum ita discurrentis, alter ejusdem nullitatis ignarus ipsemet incipiat de hac materia iterum discurre, & discursui conformiter Matrimonii novum contractum conditionatum præfato modo appetere, vel saltem occasionem & anam præbere, ut consensum nullitatis idem ob auditam rationem considere valeat. Si nullitatis ignarus nil desuper ampliùs discurret, ipsemet consensum oportuno tempore & occasione de hoc incipiat, & ad narrata se referendo, persuadere studeat, ut pro majori securitate gratiarum sacramentalium, Matrimonium de novo sub conditione secum contrahat, videlicet, quòd, si etiam ipsorum Matrimonium ex aliqua causa esset nullum, ex nunc de novo illud contrahere velint.

Illud specialiter notandum, quòd, si consensum nullitatis utatur uno ex dictis viis persuadendi alterum conjugem ad novum consensum, bene advertatur, ut præfatus consensus in præsentia, seu de præsentia detur v. g. si Matrimonium nostrum esset invalidum, volo nunc tecum contrahere: vel si per modum interrogationis sollicitatur consensus; dicatur v. g. itane me diligis, ut si Matrimonium nostrum esset invalidum, velis modo, seu nunc mecum contrahere &c. quia non sufficeret in præterito imperfecto dicere, vellem tecum contrahere, si Matrimonium esset nullum, sed requiritur, ut dicat, volo de præsentia, cum illa vellem ædalem consensum de præsentia pro essentia Matrimonii requisitum non importet, ut cum communi aliorum bene observat Sanch. lib. 2. Disp. 36. n. 5.

Si quaeras quid consilii, si abque periculo scandalii, diffamationis, vel alterius gravis mali nullo ex hæcendis recentis modis, nec formaliter videlicet, nec æquivalenter certior fieri potest ignarus de nullitate Matrimonii? Respondet Sanch. c. 1. n. 7. in tali casu sufficere, si consensus obtineatur abque ulla data notitia nullitatis prioris. Inò si nec

nec hoc fieri potest, sufficere, si solus de novo consentiat ille conjux, qui nullitatis consensum est; idem docent ex Sanch. alii, ut Gobat in Quinar. Tract. 5. cap. 37. n. 132. & n. 245. Sporer de Matrim. cap. 2. sect. 2. n. 460. citans Dicañillo & alios, eò quòd, aiant, urgente periculo scandalii, vel alterius gravis mali hæc doctrina fore probabilis ob auctoritatem plurium DD. præcitari valeat. Verum in praxi nullatenus tutam, aut licitam æstimamus; si enim sententia docens omnino esse necessarium ad revalidationem Matrimonii nulliter contracti, ut conjux nullitatis ignarus de ea certior fiat vel formaliter & absolute juxta dicta à n. 596. vel saltem æquivalenter juxta dicta à n. 597. est probabilior, uti fatetur ipse Sanch. lib. 2. Disp. 37. n. 4. ibi: multo probabilior est; idemque l. c. n. 245. sentiat Gobat; sicut etiam Sporer l. c. dicens, se credere, quòd sententia contraria speculativa sit verisimiliter falsa, & merito ob rationes à n. 587. allegatas, jam non licet hanc minus probabilem, aut omnino falsam sequi. quantumvis classicos habeat pro se Doctores; eò quòd recentissimè ab Innocentio XI. sit sententia damnata, dicere, quòd liceat sequi sententiam minus probabilem relicta probabilioris, quando est questio de valore Sacramenti, uti in quaestione nostra.

606 Queritur III. Num etiam ad revalidationem Matrimonii requiritur novus utriusque conjugis consensus & nullitatis cognitio ex parte utriusque, casu quo ex solo defectu consensus unus irritum fuit Matrimonium? Resp. I. si ex defectu consensus ob errorem ipsius persone Matrimonium fuit nullum; ut dum putans esse Titium, vel liberam, contraxit cum Caja, vel serva, certum est, quòd requiritur notitia nullitatis & erroris, novusque consensus. Sanch. lib. 2. Disp. 36. n. 1. eoque teste omnes textu Juris satis claro. & fin. de conjug. servor.

607 Resp. II. Quamvis plurimi, inter quos etiam est Sanch. lib. 1. Disp. 32. n. 9. Navar. in Man. cap. 22. n. 51. & n. 80. Layman. lib. 5. tract. 10. p. 2. cap. 6. n. 1. velint, quòd, si Matrimonium fuit invalidum ex solo defectu consensus unus v. g. vel fictè, vel ex timore injustè incusso consentientis, sufficiat, si sola pars, quæ prius vel nullum, vel non sufficientem consensum habuit, eum de facto præbeat: nec sit necesse, ut compar de novo consensus præfret, multò minus ut de nullitate Matrimonii prioris certioretur; tamen contrarium nobis non tantum tutius, sed & probabilius, consequenter in praxi omnino sequendum videtur cum Ledesma de Matrim. dub. 19. Felin. in c. Ex parte. de Rescript. n. 11. Comitolo lib. 1. Respons. Moral. q. 120. Pontio lib. 4. cap. 25. n. 2. & aliis. Probatur. Tum quia rationes, ob quas requiritur, ut nullitatis ignarus de ea certioretur, & de novo consentiat, casu, quo ob latens impedimentum Matrimonium fuit nullum, reverè etiam militant in casu, quo ob defectum consensus fuit nullum. Tum quia etiam in tali casu verum est, quòd consensus ex parte ignorantis fuerit invalidus ad Matrimonium, & proinde idem, ac si omnino fuisset nullus per Jura n. 596. allegata, consequenter nullatenus perseverans per dicta n. 591. ac per consequens novus necessarius erit; Tum quia defectus consensus etiam ex parte unius Jure Divino & naturali dirimit Matrimonium; ergo ad illud revalidandum non minus requiritur notitia prioris nullitatis; novusque consensus, quam si fuit nullum ob impedimentum jure duntaxat Ecclesiastico dirimens.

608 Nec obstat, quòd pro præcipuo fundamento defendendæ doctrinæ contrarie allegat Bosco, videlicet, personas ex solo defectu consensus invalidè

conjunctas, fuisse tempore contractus Matrimonialis de se habiles ad contrahendum, consequenter verum consensum ab uno datum, fuisse omnino validum, indeque donec revocetur, semper perseverantem, ac per consequens, si cum tempore etiam altera pars verè consentit, sufficientem pro valore Matrimonii abque hoc, quòd prius consentienti nullitas intimetur, vel ejus novus consensus de novo præfretur. Nam contra est; quòd, licet absente impedimento verus consensus unus sufficiat, & valeat pro Matrimonio, si alterius consensus tempore debito accedit, tamen fallum sit, si solus sine alterius consensu habetur, utpote ad contrahendum Matrimonium æquè invalidus, ac alius sincerè, sed stante aliquo impedimento datus; nec minus inhabilis ad contrahendum est persona, quæ nullum dat consensum, quam quæ alio laborat impedimento.

Confirmatur rescripto Clementis VIII. Papa: 609 dum enim Comitolo specialiter consulit dictum Pontificem super controversia illa, respondit Papa, esse necessarium novum consensum utriusque, admonito prius Marito de Matrimonii nullitate.

Queritur IV. An ad revalidandum Matrimonium invalidè contractum, demò requiritur præsentia Parochi & testium? Antè responsum notandum, quaestioem solum procedere de casu, quo impedimentum, ob quòd Matrimonium invalidè fuit contractum, est, & manet occultum: quia si Matrimonio invalidè contracto impedimentum evadit publicum, ita ut probari valeat, certum est apud omnes, ad revalidationem adhiberi debere novam præsentiam Parochi & Testium, hoc ipso enim: quòd palam, & in foro externo sciatur, prius Matrimonium publicè contractum fuisse nullum, de novo publicè contrahi debet, ad evitanda tam conjugum, quam populi scandala claro argumento Concilii Tridentini. Sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 1. H. N.

Resp. Ad revalidandum Matrimonium prius in facie Ecclesie publicè, sed ob impedimentum occultum invalidè contractum, nullatenus requiritur nova præsentia Parochi & testium, sed sufficit, si ambo conjuges quæ prius nullitatis cognitione vel formaliter juxta dicta à num. 596. vel saltem æquivalenter juxta dicta à num. 597. ambo ad contrahendum Matrimonium inter se solos secretò consentiant Sanchez lib. 2. Disp. 37. num. 3. Bosco de Impedim. Matrimonii. Disp. 12. sect. 14. conclus. 3. remore suo egregiè & exactè deducens, Navar. in Summa. cap. 22. n. 70. Et de Sponsalib. lib. 4. consil. Tit. de Sponsalib. Consil. 14. Perez de Matrim. Disp. 39. sect. 4. Castro Palso Layman. Herinx Disp. 5. q. 3. num. 30. Sporer de Matrim. cap. 2. sect. 2. num. 465. Gobat in Quinar. cap. 37. num. 137. Bonacina, Diana, & de factò jam communior aliorum contra Pontium lib. 5. cap. 6. Comitolum & alios. Ratio conclusionis nostræ principalis est; quòd Concilium Tridentinum, dum Sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 1. annullat omnia Matrimonia sine præsentia Parochi & testium contracta, dictamque præsentiam tanquam de forma præscribit, nullatenus se extendit ad casum nostrum, nec unquam intendit comprehendere illum; siquidem ratio, ob quam dictum Concilium præfatum condidit legem, fuit, ut evitarentur gravia peccata & scandala, quæ ex clandestinis Matrimoniis plerumque oriri solebant, plurimis, postquam in Matrimonio clandestinè contracto aliquandiu vivebant & tedium vel averfionem ab uxore sua habebant, eam utpote Matrimonium probare non valentem deferentibus, & cum alia publicè contrahentibus, indeque in continuo adulterio viventibus; atqui hæc ratio

ratio nunquam locum habet in casu nostro, hoc ipso, quod illi, licet invalide, tamen publice contracto, in foro externo semper habeantur pro veris conjugibus, & non amplius permittantur alteri nubere, si, uti supponitur, impedimentum est occultum, & probari nequit; atqui si ratio & finis legis, quæ est anima legis per vulgaria, casum in genere nunquam tangit, ad eam lex se non extendit, ut alibi amplius dictum, ergo.

612 Probatur secundo efficaciter ex declaratione Pii V. de qua testatur Navarr. qui, cum ipsemet sacre Penitentiariæ interfuerit, & alias vir omni exceptione major extiterit, in suis formalibus meritis sic auditur: *cit. cap. 22. num. 70.* ita scribit: *Sed (quod valde notandum est) sel. record. Pius V. declaravit, non esse illos (Parochum & testes) necessarios in contrahendo denuo Matrimonio ab iis, qui illud publice cum denuntiatione sufficiente contraxerunt; sed propter aliquod impedimentum occultum est nullum; quo sublato, oportet, ut denuo contrahatur; quod fieri posse sine ulla Parochi & testium presentia, antequam ad Urbem veniremus respondimus. Qua declaratione sacrum Penitentiariæ Prætorium frequenter utitur. Sic ille.*

*Idem asserit de Sponsalib. consil. 14. ibi: Sed dubitatio magna orta fuit, an propter Decretum Concilii Trident. in hoc secundo consensu præstando necesse sit saltem adesse Parochum cum duobus vel tribus testibus; & propter illa verba Decreti: Et huiusmodi contractus irritos ac nullos decernit.*

*visum fuit, esse necessariam præsentiam Parochi & testium: sed quia hoc in multis casibus non posset fieri sine periculo maximi scandali, & in Concilio non videtur fuisse cogitatum de huiusmodi casibus occultis, dictum fuit Illustissimo Cardinali Propænitentiario, ut nomine totius signature exponeret Sanctissimo, videri æquissimum, ut per aliquam constitutionem declararetur, quando præcesserunt denuntiationes, vel aliàs servata est forma Concilii, in hoc secundo sensu sufficere, ut secretè præsetur, sed ita ut conjux, qui ignorabat, in genere intelligat impedimentum dirimens Matrimonium subesse, & necessarium esse, ut de novo mutuo consentiant, ut Matrimonium valeat.*

Confirmatur ex formula litterarum Dispensationis super impedimentis occultis; utpote ubi non tantum non injungitur nova præsentia Parochi & testium, sed expressè præscribitur, ut putativi conjuges inter se de novo secretè ad vitanda scandala contrahant: dum, contra in dispensatione super impedimentis publicis semper expressè præcipiat, ut conjuges de novo in facie Ecclesiæ juxta formam Concilii Trident. contrahant, manifesto argumento, quod Concilium pro revalidatione Matrimonii ob impedimentum occultum invalide contracti dictam præsentiam Parochi & testium non requirat. Atque hæc in Librum IV. dicta sufficiant, atque iudicio & Correctioni sanctæ Matris Ecclesiæ in omnibus humillimè subiecta sint, sitque & maneat in omnibus ac per omnia.

Soli DEO Honor & Gloria.